[illegible]owski Fr. J.

Conceptus

CONCEPTUS
AD
VERBVM DEI,
MARIÆ CONCEPTIO,
In publico Scholarũ R gni Oratorio
Sub titulo & Confraternitate
EIVSDEM IMMACVLATÆ,
CONCEPTIONIS erecto
A
FRANCISCO
IOSEPHO
de Zaborow
BAKOWSKI,
POCILLATORIDA CIECHANOVIENSI
Auditore Dialectices,
In Nobilissima Hospitum
&
Iuventutis ACADEMICÆ,
Coronâ
DEMONSTRATUS.
Anno Domini *1721*. Die *8*. Decembris.

CRACOVIÆ
Typis IACOBI MATYASKIEWICZ S. R. M. Typographi.

In Stemma
PERILLVSTRIS REVERENDISSIMI
Domini Domini.



Vel SZRENIAWA Tagus, vel ſupplet honoribus æquor
Hoc, non tempeſtas volvitur ulla, vadô
Scilicet, hic Neptunus honor, fluctusq; Tyaras,
Sternunt, & Triton fama, Tridensq; pedum,
Divite nam totus populorum incommoda ponto;
Innatat, ipſa ſuis munera portat aquis.

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO
DOMINO
D. DOMINICO LOCHMAN,
V. I. D. CANONICO CATHEDRALI & ARCHIPRÆSBYTERO INFULATO, CRACOVIENSI DECANO, SANDOMIRIENSI DOMINO
ac
Mæcenati Amplissimo.

RApidissimo Gentilitij SZRENIAWA Tui ad VERBUM DEI Conceptus MARIÆ Conceptio accelerat ad Te impetu PERILLUSTRIS REVERENDISSIME DOMINE. *Infidum quisquis credat aquæ elementum, securius tamen illa adoptatum suum appellere non potuit portum, quam ubi se gentilitio Tuo credidit fluvio. Conceptum hunc amnis Tui sinu fovere non dedigneris, profunditas enim Conceptus hujus profundo, sublimitas alto Tui fluminis committi debuerat. Illud enim Nominis Tui altum est, quod nullus metiri Calamus. Illa profunditas Tuæ magnitudinis, quam nemo valet mensurare. Quâ propter & me ipsa Nominis Tui opprimit magnanimitas, & ipsa Copia facit inopem. Sive etenim sapientiam Tuam respexero, sive in virtutes & merita palpebram jecero, cuncta hæc in Te supremæ esse conspicio Celsitudinis. Ambiebat Doctoralis Tyara, Tua ex-*

 ambi-

ambire tempora, antequam Te juris caperet utriusq;. Nunc autem dum jam illam Tuo imples Capite, gaudet Tuo adtolli vertice & gloriatur. Ut autem abstringeret Te sibi sapientia, in annulo Te desponsavit Doctorali, Nobilioremq; gemmam Te illi inseruit ut exinde majus decus pretiumq; contraheret. Faventes sibi expetebat SZRENIAVÆ Tui fluctus Minerva, illum proinde Venetorum more prædicto sibi circulo subarrhavit. Et quodammodo hic, exigentiæ scientiarum satis fecisse videbaris; nondum tamen virtutum Tuarum & meritorum appetitum satiabas. Iijs proinde expetentibus ex Cathedra descendens Doctorali, Vavellanam Cathedram conscendisti; etiam ibi non absq; laureâ, quia tergemino Illustrissimi Capituli Coronatus dyademate. Non ita tamen a tyaris Doctorálibus. Patrijsq; Illustrissimi Capituli occupatum Tuum verticem coronis spectare licet, quin illum Archipræsbiteratiæ etiam Infulæ denegarent; quæ in eminentiori Majestatis non poterat collocari culmine, quam in Tuo vertice reposita. Patet proinde magnanimitas Tua vel ex ipso Tuo Capite quod vastissimum adeo ampliavit ingenium ut plurium etiam Comprahendendarum capax esset Coronarum. Patet rectefactorum tuorum amplitudo, quæ tam vasta & spatiosa ut plura in te depromat honoris dyademata. Non itaq; Oratorij fontes in amplissima gloriæ Tuæ exundant encomia quos pleno alveo totoq; gurgite in se recipit SZRENIAWA gentilitius. Illud nisi cum prædicti ad verbum DEI Conceptus Nomini Tuo dedicatione votum Concipio, ut Domesticus Oceanus Tuus, felici navigio insulis honorum exponat Te fortunatis.

Ita vovet
Nomini Tuo Devinctissimus.

FRANCISCVS IOSEPHVS de Zaborow
BAKOWSKI, Pocillatorides Ciechanoviensis Auditor Dialectices.

ORATIO.

AD primum Marianæ vitæ ſiſtens punctum, ad felix ſæculorum inſtans poſitus, hoc unicum fari fateriq; debeo, quod intemerata Virginis MARIÆ Conceptio, laudum non poſcat nomina, & alijs titulis præterquam ſe ipſa explicari non prætendat. AA. Laus enim eſt nullis attingenda encomijs, ipſa ſibi Conceptio decus tantum, cui ſi nitor addi cogitetur, luci umbra affundi videbitur. Quocunq; è fonte exortæ MARIÆ duxerim Orator exordium, in mare illabor laudum, à tenui dictionis rivulo, ad inexhauſtum Oceanum deducendus. Quamvis anxia revolvam mente varios dicandarum dicendarumq; MARIÆ laudum acceſsus, nihil tam prope exortui illius approximat, quàm ſola ipſius Conceptio. Si enim vel gemmam MARIAM proclamaverim, nondum Conceptæ MARIÆ pretium attigi. Cui quoniam expalleſcere non datum, etiam ultra nitorem unionum ſtare eſt conceſsum. Si probati auri venam dixerim, vix veniam merebor, Cæli pretium exoſæ Superis permiſcens telluri. Non ſidus polo promicans exordium MARIÆ nuntiabo, probè noſcens etiam in Principe ſiderum ſole maculas adinventas. Quàm longè ab hominum ortu MARIA, tam ab humanis remota laudibus. Si ſuum Conceptum non audiat, cætera quãvis nobis accepta reijcit. Hæc ſola ad mentem MA-

RIÆ cogitatio, quæ in appræhensione Conceptæ MARIÆ fixa non ultra diuagatur. Hic potior exagitatæ reflexionibus mentis Conceptus, qui nihil concipit amplius, quàm quô digna MARIÆ Conceptio. Quod in laudem hominum venit semper noscitur hyperbolicum, quò etiam maximos adtollimus factis, illorum majora laudum excitamus fastigia, parum dicturi, si aliquid nostrum non addamus. MARIAM hic digne prædicat; qui MARIÆ dotes, MARIÆ originem, ut in se est asumit explicandam. Subtili quamvis ingenio, altum hoc pertransiri non potest, altius evolat, sublimius se attollit, si Sui pedisequas laudes contemplatur. Humani non socia encomij MARIA, sed Regina sub sua Majestate laudes hominum detinet suppedaneas. Rotundo quamvis ore efformari laudum corona non potest, huic Virgini omnia dicta digniora sunt, ut plantis illius non laudi & encomijs advolvantur. Quid magis MARIA? imò quid compar MARIÆ? moliri posunt soluta mortalium in ejus cultum pectora? quid ora fari? quid spiritus? imò à corde evoluere singulare; MARIA pars quidem nostra, sed non nostræ, sors facundiæ. Mulier sed illo etiam in exortu suo amicta sole, ad quem pupillæ mortalium cæcutiunt. Vix video, vix conijcio MARIÆ laudes, facilius expediturus negotium, si aurium obsequio linqui, conatu placere Virgini prætendisem. Submittam me tamen Conceptæ MARIÆ, negotio intendam vires, non nervose dicturus; sed qui saltem prima MARIÆ Conceptæ vestigia pronus adirem. Quid MARIÆ Conceptio? nisi mentis Divinæ, nisi increatæ sapientiæ Conceptus. Vltra captum mentis nostræ ingeniosa hæc combinatio, ad Superos referri debet, quæ supra humanũ opus. Authori DEO adscribendus iste conceptus, qui æternitatis tomo adscribi non potuerat, nisi Numine pro ipso exsudante. MARIA nata DEI sponsa, Materq; DEI, quidquid est, qualis quantaq; est, DEI est. Quare Cõceptus

ceptus ad verbū DEI Immaculata Divinæ Genitricis Conceptio ab ore meo audiatur. Insequor exortûs tui lumen, radiosq; , nullius noxæ cōscia Virgo, infantē. Tu redde linguam, quæ noxam penitus ignorâsti. Inflamma pectus, accende Spiritū, quo ferveat oleum effusum MARIA Nomen Tuum. Nec sine vobis Auditores Humanissimi expedire munus potero, qui ad vos in Conceptæ MARIÆ negotio verba faciam. Conceptū ad Verbum DEI dico MARIAM, Vos annuite. Explicate favoris vestri documēta, quæ ego ad Cōceptū Illibatæ Virginis MARIÆ Cliens annotabo.

Animorum mentiūq; nostrarum exemplar, ac norma DEVS, quidquid concipit, quidquid mentis suæ augusto recessu evolvit, omne illud ingeniosis adjunctis reddit gloriosum. En obtutui nostro irradiatū sideribus allucet Cælum, obviat orbis, patet terra, & cuncta hæc cæteraq; quàm bene imo quàm optime mente Numinis prodeūt ordinata. Quinimo minimum Supremi opus Tonantis maximū arguit ingenium, à quo steterat de nihilo efformatū. Hæc magnum satis Conceptum exposcebant, sed MARIA sine labe Concepta, maximū. Paulo minor ab Angelis homo divinis annotatur literis, maior his MARIA noscitur, colitur, adoratur. Cōbinavit in uno MARIÆ cōpendio illa DEVS adjuncta, quibus à cæteris Virgo hæc creatis disjungitur, separatur. Ad homines pertinet humani conscia sanguinis, Cælestem se exhibet, diviniorem participans; nam sine labe originem. Nobis adjuncta peccati macula, ab hac Virgine remota; nobis in vitæ exordio vitæ exitus, à MARIA procul mortes detestandæ. Vno planè passu noxæ nobiscum eunt, imo priores figunt vestigia, quibus in mundi spatia prodeamus. Socia nobis vitia, comites maculæ, pedissequa prodromaq; inquitas. Adeò mortales abjecti sumus, ut ultra peccatū assurgere nequeamus. Adeò criminum visco inhæsimus, ut his capti, virtutum cultui denegemur, Longe ab hac

 com-

communis felicitatis naufraga ſorte MARIA; concipi e-nim aliter non poterat, quàm innocens, prodire in orbem, quàm ſine macula, naſci nobis, quàm ſine vitijs. In hoc malignantis mundi pelagus, MARIA vitæ ſuæ cymbam dirigit, ſed ſcyllæa criminum evitat pericula; vela committit mundanis turbinibus, ſed divino ubiq; comitata Favonio. Quàm extra miſeram ſortem Mortalium MARIA, quàm diſpar homini, de homine, prohominisq; commodo MARIA, præcipuam credite Omnipotentis dexteræ operam. Credite Conceptum ad Verbum DEI MARIAM. Volvebantur ſæcula, tranſiebant anni, dies effluebant, & Cælum ſub nubilo illuſtrem faciem retinebat tegebatq;. Horis horæ inſtabant, momenta momentis trudebantur, & altum Numen caram Orbis felicitatem mentis ſuæ theſauris recondebat. Alluxit tandem communibus votis expetita dies, advenit candidis notandum calculis tempus, affluxit momentũ, æternitatis vehens pondus MARIAM; feſta inquam dies MARIÆ Conceptio. Legimus conceptum à ſæculis formatum, nunc in tempore revelatum, miramur ingenium Conceptum hunc combinantis; ſtupemus ſupra hoc mentis opus & extra nos rapimur, dum ſupra humanum cognoſcimus artificium. Exoriri enim ad ſalutem, ad delendum gentis opprobrium deſtinari, formari tandem MARIAM ad terræ Cæliq; gloriam, non ne ad Verbum DEI ſolius Conceptus. Proferat ſi poteſt par opus mortalitas, formet ſi ſupetunt vires donum ſimile. Abit, cedit Divinæ menti auguſtiora ſẽper cogitanti. ſi enim vel potentem Semiramidem, ſi providam menti ſuæ Æſtheram, ſi deniq; candore innocentiæ ſpectabilem Suſannam monſtraverit, nihilũ ſunt ad MARIÆ gloriam. Illæ etenim inter virtutes ſuas nævos admiſerunt, hæc ne athomum quidem candori ſuo affuſam conſpexit. Illis aliqua tantùm conceſsit Numen ornamenta, MARIÆ omnia ingeſsit donavitq; decora. Non ſum altiſsimæ

ſcruta-

ſcrutator Majeſtatis, non Phaëtontis auſû Cælum ſubſi-
lio, exhauſtos tamen, MARIÆ gratiâ theſauros DEI ſi
non video, certe Conijcio. Mare donorum DEVS eſt,
MARIAM alluens, MARIAM reddens inſulam fortu-
natam. Pretium ingens DEVS eſt, ſe MARIAM red-
dens æſtimabilem. In hoc peccamus omnes, quod Pa-
rentem noſtrum Adam peccatis imitemur. Hoc exce-
dimus, quod primam innocentiam non ſeruemus. Tra-
ximus è Parentis noſtræ ubere virus illud, quo ſinguli
angimur, emorimur, cruciamur. Virus hoc vel ideo ne-
fandum, quod à malo, vel ideo execrandum, quod à
diro ſerpente comparatum. Perſuaſit aſtutia vetitum,
decerpſit mali veſana cupido negatum, hoc exitu, ut
nos malũ in malo deglutiret. Perijmus in tanta voragine
ad arborem boni maliq; effrontes, ad Paradiſi delicias
miſerrimi, in copia rerum Tantali, nec profuſis crebro
lachrymis ſatis deplorandi. Exempta Numinis ope de
his MARIA, eò altius innocentiæ ſuæ Majeſtatem pro-
vexit, quò nos profundius in imo peccati ſteteramus. Con-
trivit caput ſerpenti noſtrnm omnium ſingulorumq; ho-
ſti pluſquam capitali, eluſit aſtutiam, non bene nobis-
cum colludentis compreſsit furorem, ſeq; in illa locavit
auge, in qua ſtare peccato non conceſsum. Attenta in
exortu MARIÆ par malum inferne, inure Tui ſignum
Orci titio innocentiæ. Audes ne id in MARIA, quod
auſus es in nobis? minime. Conceptus ad Verbum DEI
MARIÆ Conceptio temerari non poteſt, ad mentem
DEI MARIA, ſub arbitrium non cadet dæmonis. O-
pus manuum DEI excellentiſsimum attingi, ut pereat
non valebit. Ea mentis divinæ dona etiam hic Con-
ceptus novit, quod nihil in ſe deſideret laudatiſsimi.
Quidquid enim aut humanum exornat animum, aut mo-
res componit, illud omne in Concepta MARIA reſplen-
det ſereniſsimum. In exortu ſuo amore perfectiſsimo
ſtringit DEVM, ſeraphico ardore fervet, in cultumq;

tota

tota Numinis dedicatur. Prætende quas velis, vel cogitas uirtutes, in Cōcepta MARIA advertes. Illā ſanctitas ambit complexû nunquam diſsolvēdo. Nondum nata nobis Divinæ ſolum menti nota, & jam ſanctiſsima celebratur. Nondum patebant horridæ abyſſi & jam profunditas Marianæ ſanctitatis ſpectabatur. O ſtupendum Divinæ manus artificium? o mentis Divinæ opus? qvum ad verbum DEI es MARIA? quam Concipi altier non potes? niſi ſis Conceptus ad Verbum DEI? Humana omnia DEVM quidem Authorem noſcunt, ſed ab eo, nefando exceſsu deviant. MARIA in primo vitæ exortu ſic Numini adhæſit, ut malignantium fatorum impetu nunquam ab eo divellatur. Placet in ſua Conceptione DEO, quia ſemel datam ſemper retentura innocentiam devincit Numen cujus minimo nutui obſequentiſsima. Proceſsu temporum accedunt Mortalibus virtutum ornamenta, Conceptæ MARIÆ ſunt innata. Tota enim præter ſanctitatis nitorem Virgineo lucet Candore radiatq; Induit fortitudinem orco mundoq; tremendam pietatem aſsociat, obedientiam præhendit, hac Numen hac ſuperos in partes ſuas protractura. Quinimo imperium ſibi vendicat, virtutum MARIA, in exortu harum regimen ſuſcipit, ut ſuæ ſemper obſequantur. Majeſtati. Igitur ad thronum regnantis MARIÆ excubat prudentia, prominet DEI proximiq; amor, adeſt gemma Virtutum manſuetudo. Siquidem Conceptus verè DEI ad verbum DEI debuerat extitiſse perfectiſsimus. A ſæculis hîc trutinabatur æterna, verſabatur mente inde etiam prodire debebat omnibus virtutum titulis abſolutus. Jactet ſi poteſt furibunda aliquorum veſania impetus, ſuos in MARIAM, Conceptus ad verbum DEI eſt, Confundet furorem & Conceptam iram opprimet in exordio. Nullius conſcia noxæ quæ honoris ſui non pellet nocumenta, in qua teſte Doctorum nectare Ambroſio, nec peccati cortex extiterat, quos

obices

obices non disrumperet. Tam igitur egregio conatû efformatam Conceptamq; MARIAM spectamus, miramur opus DEI maximum, Conceptum limatissimum observamus. Sed quonam fine sic placuit altissimo, ut cuncta DEI dexteræ opera MARIA transcenderet? ideo ut ad verbum DEI Conceptum MARIÆ, Mariamq; ipsam ordinasset. Quærebatur sæculis ipsis Mater DEO nec poterat inveniri nisi purissima à DEO ipso formaretur. Quæ itaq; digna foret verbum fæcunda virginitatè concludere, Conceptus debuit fuisse ad Verbum DEI. Aliter in divinæ Maternitatis non vocaretur gradum si parem cum hominibus invenisset vitæ stationem, non potuisset inquam DEVM habere Filium, si DEVM non experta fuisset Patrem, se a peccato originali præservantem. Liberis hic exorientis MARIÆ futuram in nuo dignitatem. In DEI enim Matrem eligi dignius alijs omnibus conspici, ad inscrutabilia Divinitatis arcana vocari summum est, propeq; divinum. Concipi ad maxima, foveri ad suprema, educari ad Cælestia, infinitæ laudis gloriæq; documentum, Spem ipsam MARIÆ in illius intemerata Conceptione conceptam si tulero, ingentia videor instaurare. DEVM cujus Cæli non capaces suo utero concludet. Verbum alias inerrabile, ipsa gentibus populisq; revelabit. Lumen ad quod humana cæcutiunt, ipsa pectoris sui recessu fovendo spectandum cunctis exhibebit. Vere Conceptio MARIÆ aurora Solem Iustitiæ præcedens diluculum prænuntias, salutis nostræ meridiem. Conceptus tandem exquo inferimus boni nostri argumentum. Conceptio MARIÆ Matris DEI Conceptus dicendus ad Verbum DEI quia æterni verbi capacissimus.

Quare jam ex adjunctis à solo DEO combinatis ex virtutum singularum nexu, ex verbo æterno ad Verbum DEI Conceptum MARIAM veneramur. Adeste tantum Conceptæ MARIÆ Iuvenes Academici, ad-

ci, ad-

ci, adeste mentes sanctioribus dicatæ Studijs, MARIAM Conceptum DEI legite, observate. Placeat vobis hæc periodus, quæ suis membris æterni Patris stringit verbum præhenditq;. Mediam hanc Corde animoq; fovete notam; quæve inter duo puncta DEUM scilicet & hominem intercedit eam prono cultù Conceptum ad Verbum DEI adorate.

D I X I.